Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Secundus philosophus

Secundus athemiensis philosophus hoc tempore in precio fuit / Qui perpetuum silencium servans pythagoricam vitam duxit : Cuius taciturnitatis causa hec fuit / Quod cum matrem suam de illicito concubitu temptasset : et illa (incognito filio) assentisset : ut eum cognovit esse filium : pre pudore spiritum exhalavit / Quod animadvertens secundus se matri propter suam loquelam accidisse ; hanc a se in posterum exegit penam : ut de cetero unquam nemini loqueretur / Quod cum hadriano qui apud athenas commoratus fuisset / ipsum illico accersiri fecit / Quem ad nec salutacione, nec exhortacione / aut minis a taciturnitatis proposito retrahere potuisset . Admirans ipsius taciturnitatem, atque constanciam dixit Cum tuum silencii lex a te nullo modo solvi potest : manu tua propleumatibus meis responde . Et interrogans dixit Quid est Deus : Ille confestim rescripsit / Deus est immortalis mens incontemplabilis celsitudo, forma multiformis, multiplexque spiritus, incogitabilis inquisicio, omnia continens lux indeficiens et optimum bonum : fuere et alia multa hadriani propleumata philosopho proposita :—

Tiburtinam latine Regionis Civitatem / Que hodie vetus Tibur appellatur / per hoc tempus hadrianus Imperator (ut helius Sparcianus historicus testatur) miro sumptu edificavit / Et ex villa opidum fecit . hec quippe civitas . 16 . passuum milibus a Roma distare videtur / Et iuxta Aniene fluvium in Clivoso loco constituta est / Quam tamen civitatem longe ante Romanam urbem a grecis originem et conditorem habuisse Strabo et Virgilius volunt / Aiunt enim quod ipsius primus conditor fuit quidam Tiburtus Corans et Catilli fratres . hii namque fratres Thebani fuere / Qui post Thebanorum interitum a patre in Italia progeniti / singuli postea oppidum ex suo nomine construxere : quod testis est quidam mons propinquus qui Catillus adhuc dicitur . Et Corax aliud oppidum famosum inter volscos erexit . Fuit itaque Tiburtina hec quondam nobilis civitas Cui etiam testimonium perhibent propinque adhuc extantes ipsius antique civitatis ingentes et magnifice edificiorum ruine / Que dignitatem urbis prestiterunt / Eo siquidem loco Tiburtinus lapis fortissimus foditur : Qui ad construendam construendam Romanam urbem multum adiumento fuit . hanc enim urbem Fridericus cognomento barbarossa Imperator, ab aliis theotonicis superioribus annis dirutam reedificavit / Et deinde multi summi pontifices multique cardinales auxere / et multis edificiis illustravere / Ex hac Simplicius Romanus pontifex . et alii viri sciencia et dignitate clarissimi ortum habuere :—

Tiburtina civitas .